



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

III. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Venefrida V. & M. in Anglia regium sanguinem fuso eo in amorem puritatis illustravit. Hæc Deiparam virginitate præcipuè coli posse edocta, eam quantocyus vovit; à Regis filio, ad scelus sollicitata, cùm fugeret, insequente obtruncatur. Ubi cecidit, ibi fons agris salutaris erupit. *Vas. Mar.* Non puer hic, sed tyrannus amor est.

S. Venefrida iterum ad vitam precibus Beu-
noi revocata, iterùm beatè mortua, per u-
tramque mortem, per gloriosam tuam fugam
& victoriam te rogo, ora pro me Deiparam,
ut ea quæ illi placita sunt, eligam, & semel ri-
tè electa ita servem, ut à vita potius, quàm à
bene cœptis eligam exturbari. O Sanctissima
DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. in-
dignissimus filius tuus ex toto corde, omni-
busque tam corporis, quàm animæ viribus
centies millies, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: desiderium in me
excitabo præ intentione amoris Mariani
mortem oppetendi.

Adeò compassa est Mater Filio, ut si fieri po-
tuisset, omnia tormenta, quæ Filius pertulit,
ipsa libentiùs sustinuisset, & nihilominus pla-
cuit ei, quod unigenitus ejus pro salute hu-
mani generis offerretur. *S. Bonav. in 1. Sent. D.*
24. quest. 2.

Quæstio: An major de filii morte luctus, an
de humani generis redemptione consolatio
fuerit in Deipara?